7

THESES ANATOMICO-BOTANICÆ,

QUAS
SUMMI NUMINIS AUSPICIO
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI INDULTU
PRO
Vacante Cathedrâ Anatomico-Botanicâ,
CLARISSIMORUM COMPETITORUM EXAMINI
SUBJICIT

FRIDERICUS ZUINGERUS,

Phil. & Med. Doct.

RESPONDENTE

JUVENE PRÆSTANTISSIMO

JOH. HENRICO RIPPELIO,

Ad Diem 14. Julij M D C C XXXIII.

H. L. Q. S.

Banks

BASILEÆ,
Typis Joh. Henrici Deckeri, Academiæ Typogr.

THESIS I.

UT alimenta ſanis corporibus Agricultura, ſic ſanitatem ægris Medicina promittit: eleganter dicit A. C. Celſus (a); paucis namque ex his ſacræ ârtis neceſſitas, utilitas, & præſtantia, ſive nobilitas facilè eruitur: Quid enim quæſo nobilius eſſe poteſt, quam mortalibus conſervare, vel reſtituere id, quod anxiè adeo efflagitant, ſanitatem nempe? de quâ Eccleſiaſticus ita loquitur: Sanitas quovis auro melior eſt, & corpus validum immenſis opibus (b). Quod autem omnis, qui Doctoris, aut Medici titulo ſuperbit, vel qui ſanandis ægritudinibus operam dat, morbos ſecundum artis regulas curet, præcaveatve, ſicque veri nomen Medici mereatur, neminem credo ita facilè affirmaturum eſſe: Hinc Nobilis Celſus iterum ſcitiſſimè profectò ſic effatur (c). Eum verò rectè curaturum eſſe, quem prima origo cauſæ non ſefellerit. Quinam verò facilius falluntur, quam qui C.H. topographiam minùs habent exploratam; adeòque vitæ, ac ſanitatis cauſas neſciúnt; unde & illius læſiones, id eſt, morbos ritè cognoſcere nequeunt; quare medicaſtros, agyrtas, & mulierculas non niſi in tenebris caligare, dum morbos curare ſtudent, etiam plus damni, quam auxilii plerumque adferre, multis probare opus eſſe non puto: regerere ſi quis hîc velit, dexterrimos etiam Medicos quandoque cæcutire, quum iis multæ adhuc

(a) Præf. p. 1. (b) Cap. XXX. v. 15. (c) Præf. p. m. 5.

huc C. H. partes minùs cognitæ ſint, & hinc quoque phænomena præternaturalia circa eas occurrentia iis minus perſpecta eſſe queant: equidem non inficiamur, incidere nonnunquam caſus, in quibus vel ipſe Hippocrates effectuum quorumvis rationem dare nequiret: immo credimus, neminem in nobili hâc arte peritum eſſe, qui non cum Hippocrate ad Democritum dicat: Ego enim ad finem Medicinæ non perveni, etiamſi jam ſenex ſim (a). Qui ergo Medicinam, & imprimis hujus Theoriam promovere ſtudet, eam præcipuè partem excolere neceſſe habet, quæ Theoriæ principia largitur, ipſam ſcilicet Anatomen. Animo itaque nonnulla concepi de partibus C. H. circa quas, vel dubii quid occurrit, vel ab authoribus quid malè deſcriptum habetur, quæ ſpeciminis loco in his Theſibus proponere volui. Id operis ubi minus benè perfeciſſe tibi videbor, L. B. cogites, ſi velis, neminem in arte perfectum eſſe.

Theſ. II. In definitione oſſium miror valdè, multos Anatomicorum admittere eorum albedinem; quum tamen experientia teſte in corpore vivo, quamdiu aliis partibus tecta, ac veſtita ſunt, potius rubicunda appareant: ea autem definienda eſſe, non ut ſe habent in ſceleto, verùm ut in corpore deprehenduntur vivente, (b) & ſano; quilibet facilè dabit; unde etiam valdè errant, qui dicunt, oſſa eſſe partes corporis rigidas; certè in corpore vivo hoc non obtinet, quia ſucco, & oleo pollent multo, rigiditatem impediente.

Theſ. III. Sunt qui exiſtimant, Cel. Albinum in tractatu de Oſſibus C. H. malè admodum diſtinguere oſſis temporis partem mammillarem â reliquis, petroſâ nempè, & ſquammoſâ (c) quod in infantibus reverâ non ſit à reliquis diſtincta, vel ſeparata, ut pars petroſa cernitur à ſquammoſâ: Illi verò parum conſiderant, ſæpè opus eſſe os quod-

(a) Epiſt. ad Dem. p. m 933. (b) B. S. Albin. de oſſ. §. I. (c) Idem. §. 26.

quoddam doctrinæ cauſâ dividere in partes, quamvis in ætate tenerâ a naturâ haud fuerit diſtinctum, ut eo facilius nexus, & uſus ejus innoteſcat.

Theſ. IV. C. H. conſtare dicitur partibus firmis, & fluidis (a); quoniam verò occurrunt, quæ ſæpe neque ad priores, neque ad poſteriores commodè referri poſſunt: ut pinguedo, medulla, Mucus, Cerumen aurium; non video, quid impediat, quominus tripliciter C. H. partes diſtinguantur; Nimirum in firmas, fluidas, & intermedias, quò ſic Anatomici amplius non habeant, cur inter ſe de hâc re controverſentur; multi namque eorum pinguedinem, medullam, & cerumen aurium ſub fluidis comprehendunt, quæ alii ſolidis ex parte annumerare malunt. Vir quidam Cel. pinguedinem ſub partibus deſcribit ſolidis, cerumen verò fluidis adjungit, quod tamen conſiſtentiâ ſuâ non minus accedit ad ſolidum, quam illa prior, nempe pinguedo. Ubi quis admiſerit illam veterum diviſionem in partes continentes, contentas & impetum facientes; tunc utique partes ſupra dictæ contentis adſcribendæ veniunt.

Theſ. V. Notum eſt plures cum Leal. Leali (b) agnoſcere anaſtomoſin arteriarum, & venarum ſpermaticarum, dicunt enim arterias emittere ramulos laterales venis inſertos, per quos ſanguis arterioſus viâ ferè rectâ in venas derivetur: Ipſe Euſtachius in Tabulis ſuis ramulos hoſce communicationis delineavit (c) verum ſi quis accuratius paulò velit hæc vaſa ſpermatica inſpicere, & examinare, mox deprehendet, veram non dari illorum anaſtomoſin; potius hinc inde venæ decurrentes inter arterias, ſed cum iis non communicantes, inſpicienti facilè imponere poſſunt, ac ſi eſſent ramuli lateraliter inſerti, id quod conſtanter à Cel. Albino obſervatum, & abs me aliquoties viſum eſt.

Theſ. VI.

(a) H. Boerh. Inſt. §. 39. (b) περὶ σπερματιζόντων. p. 18. & ſeq. (c) T. XII. F. 1, III. & T. XXV.

Theſ. VI. Venam umbilicalem ramo Venæ Portarum inſertam, & poſt partum in ligamentum teres abeuntem, plerumque ad aliquam diſtantiam apertam manere, obſervationes teſtantur anatomicæ. Hujus autem rei hæc mihi videtur eſſe ratio, ſalvâ meliori ſententiâ: Sanguis nimirum in ramo venæ Port. juxta latera motus, venam umbilicalem, inveniens inanitam, oſculum hujus intrare, & aliquousque propelli poteſt, ita quidem, ut vena in totum coaleſcere nequeat, quamdiu talis ſanguinis impulſus durat. Oppoſito inſertionis venæ umbil. loco, emittitur ramus proximè tendens ad venam cavam, in quam proin maximam, ſi non omnem umbil. venæ cruorem tranſire, ſicque rectâ ad cor tendere viâ, multi credunt: aliquam verò partem ſanguini Port. commixtam abripi, & unâ cum eo per hepar circulari, valdè eſt probabile; hinc etiam ſequitur, non omnem Portæ cruorem per Iecur vehi. Nunc ad muſculos lubet tranſire.

Theſ. VII. Muſculorum auris externæ, ſive auriculæ tanta non eſt exilitas, quam Cel. quidam exiſtimat Anatomicus; nam profectò longè exiliores ſunt auris internæ, mallei, & ſtapedis muſculi: Secundo inde non ſequitur, eos nonnunquam deeſſe, quod multis vix appareant; ſane hujus rei plures eſſe poſſunt cauſæ: Primo in hominibus tabe conſumtis vel in totum diſparent, vel ſaltem eorum fibræ adeo palleſcunt, ut impoſſibile ſit eas dignoſcere, immò ob tenuitatem facilè pro ligamentis habentur (a). Quum enim maximi muſculi in tabe extinctis tantoperè pallidi, & quoad molem diminuti obſerventur, quid ni idem exilibus contingeret: Secundo ſæpius forte accidit, ut, dum proſector eos per incuriam dilacerat, vel quocunque modo diſcindit, poſtea amplius non diſtinguantur, vel peccent aut in defectu, aut in exceſſu, tam ratione numeri, quàm magnitudinis; unde tunc deſcriptiones diſcrepantes oriri queunt: Tertiò aliquid for-

(a) J. B. Winslovv Expos. Anat. T. IV. p. m. 620.

taſſe contribuit, quo minus conſtanter in oculos incurrant; ſi quis v. g. Præceptoris, vel aliûs deſcriptionem, & ſententiam amplexus, aut incongruâ delineatione ſeductus, dum ipſe anſam nactus eſt hoſce muſculos in corpore quærendi, ſtatim eos non inveniens præjudicio tunc quaſi captus concludat, eos deeſſe, vel ordinariò, vel frequenter, vel numero eſſe pauciores &c. Quartò denique aliquid facere videtur, an homines in vita fuerint otio dediti, an verò frequenti corporis, & muſculorum motui, atque exercitio aſſueti? ut hiſtriones, & geſticulatores.

Theſ. VIII. Elevator menti Albini, Muſculus eſt novus, hactenus à nemine, quantum ſcio, probè deſcriptus: Situs eſt in mento, cujus carnem in vivis eminentem, præter pinguedinem interſperſam, conſtituere ſolet; duobus naſcitur capitibus in maxillâ inferiori ab alveolis dentium inciſoriorum, & paulò infra coeuns in unum corpus, burſulæ, ſ. lunulæ decreſcentis formam referens, deſinit, fibris meris carneis conſtans: Mentum attollit, ſurſumque trahit; puſillus quidem eſt hic muſculus, ſed elegans, & mirus.

Theſ. IX. Baſiogloſſus plerumque diſtinctus apparet (a) muſculus, quippe haud adeò Cerato-gloſſo. cohærens, ut unum cum eo muſculum efficiat: Unde quia jam ab aliis ceu diſtinctus deſcribitur, lubet agnoſcere hanc diſtinctionem.

Theſ. X. Quam partem C. H. Græci *νεῦρον* apellâvêre, Romani Nervi nomine exprimere conſuevêre: Aſt vario ſenſu quondam ſumptum legitur hocce vocabulum: Veteribus quidem propriè Nervi dicebantur, qui à Cerebro, & ſpinali Medulla prodeunt; Alios autem ex muſculis, ſcilicet Tendones; adhuc alios ex oſſibus, nempè ligamenta oriri dicebant, ſicque triplex Nervorum diſtinctio

(a) Ipſi Winslovv. omnes tres Baſiogloſſus, Cerato-gloſſ. & Chondrogloſſ. ſatis diſtincti apparent. Exp. Anat. p. m. 709. 701.

ctio naſcebatur (a). Inſuper Nervorum nomine quandoque venire ſolebant Chordæ arcuum, Vincula, quibus captivi ligabantur. In Plantis quoque pars quædam Nervus dici conſuevit (b): Immò hodie adhuc multi Chirurgorum, ne dicam Medicorum, obſcuram modò habent Nervi notionem; eum autem ſequenti modo definimus.

Theſ. XI. Nervus eſt pars C. H. in longitudinem inſtar chordæ, ſive funiculi teretis exporrecta, orta intra Cranium à Cerebro, Cerebello, vel medullâ ſpinali intra thecam vertebr. hinc per totum Corpus innumeris propaginibus diſcerpta, ad ſenſum, motumve perficiendum, fortè & nutriendum deſtinata. Pertingunt Nervi ad omne ferè C.H. punctum, æque ac arteriæ, & Venæ, nullis partibus firmis, credibiliter ſolis fluidis exceptis: Docent id cùm ſenſus in quovis ferè puncto perceptibilis, tum mirabilis illa Nervorum in minores, minimos, tandem aciem viſûs eludentes ſuâ exilitate propagines diſperſus. Undè Nervus non eſt, niſi medulla prius collecta, poſt diſperſa quaquaverſum.

Theſ. XII. Nervi itaque, quatenus alii à Medullâ Cerebri, & cerebelli, intra Cranium orti (*Th. XI.*) per canales ſingulares oſſeos caput egrediuntur; alii verò in ſpinali medullâ nati (*Th. XI.*) per ſimiles canales oſſeos Thecâ vertebr. exeunt; commodè dividuntur in Nervos Capitis, & ſpinæ; illius *IX.* paria, hujus *XXX.* numerantur, cum uno pari ſuperius ex ſpinali Medullâ prodeunte, ſed recurrente in Caput, è quo poſtea iterum reliquorum adinſtar egreditur, ſicque reſpectu originis ad ſpinalem medullam, egreſſûs reſpectu ad caput pertinet. In fine ſpin. Medullæ nervus eſt impar, cauda dictus equina. Hæc de definitione, & diviſione nervorum: de quibus plurima adhuc dici poſſent, hactenus vel neglecta, vel non ſatis deſcripta, verùm ad quævis ſingularia deſcendere, noſtri nunc non eſt inſtituti.

(a) Brunfelſii Onomaſt. med. (b) Theophraſt. Hiſtor. Plantar. L. V. C. IV.

Theſ. XIII. In conſideratione glandularum, utique reſpiciendum eſt ad habitum illarum peculiarem, hinc probè definiuntur Cl. Heiſtero, quod ſint partes peculiaris habitùs, &c. (a).

Theſ. XIV. Studium Botanicum indies difficilius reddi videtur, quia multi non cogitant, niſi de novis plantarum generibus cudendis; longe verò melius facerent, ſi prius methodum ſtabilirent magis adæquatam, juxta quam in acquirendâ Plantarum notitiâ quis procedere poſſet.

Theſ. XV. Multæ Plantarum ſpecies non differunt niſi foliaturâ; ut Liguſticum, quod Seſeli Off. C. B. P. 162. T. 323. & Liguſticum, ſive Siler montanum anguſti folium C. B. P. 162. Pr. 85. T. 323. Vidi haſce ſpecies in horto Lugd. Batav. adeò parum diſcrepantes, ut pro unâ eâdemque ſpecie haberi potuiſſent; ſimiliter Sclarea Luſitanica glutinoſa, ampliſſimo folio T. 179. & Sclarea vulgaris, lanuginoſa, ampliſſimo folio. T. 179. vix differunt. Unde, ubi minima datur differentia in plantis, non neceſſe eſt eas ſtatim pro diverſis ſpeciebus venditare.

(a) Comp. Anat. p.m. 10.

TANTUM.

Soli Deo Gloria.